



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XV. De Sagittariis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

præter penas omnibus communes incurrunt de-  
positionem. *c. 1. h. t.* seu suspensionem ferendæ  
sententiæ; item privationem Beneficiorum, & in-  
habilitatem ad illa. Pius V. *in Const. Ea, quæ.*  
*anno 1560.* editâ.

## TITULUS XV.

## De Sagittariis.

## SUMMARIUM.

1. Sagittarii, Ballistarii, Tormentarii qui.
2. An suam artem licitè exercent.

**S**agittarii olim dicebantur, qui ex arcubus  
plures simul & semel sagittas, & Ballistarii,  
quorum in *h. t.* etiam fit mentio, qui ex bal-  
listis seu catapultis saxa in hostem dextrè nove-  
rant jâcere cum strage plurium simul & semel,  
vel etiam mœnium. Hodie, cùm Arcus & antiqui  
moris Ballistæ in defuetudinem abierint, per ejus-  
modi genus hominum venire possunt Tormenta-  
rii, seu qui ex Tormentis, Stuck/ & Mortariis bel-  
licis, Mörse/n/ glandes, globos plumbeos, pilas  
ferreas vel lapideas, quibus longè major strages  
editur, quam illis machinis, in hostes hostiûmque  
urbes ejaculandi artem sciunt, & exercent.

Dico. Quamvis olim in *c. un. h. t.* prohibitum  
fuerit illam mortiferam Sagittariorum & Balli-  
stiariorum artem exercere adversùs Christianos &  
Catholicos; hodie tamen permissum est exerce-  
re artem Tormentariam etiam contra Christianos  
& Catholicos in bello justo. *arg. can. 2. caus. 23. q.*

2. id quod confirmat praxis tolerata. Illicitum  
tamen



tamen foret Christianis pro Infidelibus contra Fideles exercere, uti & arma aliâque instrumenta Belli ad Infideles, Paganos, Turcas &c. deferre. c. 6. de Judæis. Bull. Cœnæ. f. 7.

## TITULUS XVI.

## De Adulteriis, &amp; Stupro.

## SUMMARIUM.

1. Tractatur hic de peccatis Luxuria, consummata & non consummata.
2. 3. 4. Quid sit Fornicatio: Concubinitus: Stuprum: & quæ eorum pœna.
5. 6. 7. Quid Raptus: Incestus: Sacrilegium: & quæ eorum pœna.
8. 9. Quid Lenocinium: Adulterium: & quæ eorum pœna.
10. An conjunx adultera, quæ indè prolem peperit, teneatur marito manifestare delictum vel proli.
11. A quo alenda sit proles ex illicito concubitu genita.
12. Quædam notanda circa prædicta delicta.
13. Vitium contra Naturam, nempe Sodomia, Bestialitas, & Mollities seu Pollutio. Et quas habeant pœnas.
14. Delectatio Venerea, quæ etiam Carnalis, vel Morosa dicitur, voluntariè habita semper est peccatum mortuale. Differt à delectatione sensuali, & à Desiderio.